

Hermann Becker

**Programma Rector Universitatis Rostochiensis Hemannus Beccerus, Phil. Mag. Math. Infer. Profess. Publ. ... Ad Exequias Quas Feminarum Ornatissimae, Annae Eibelürsiae Vir ... Dn. M. Hinricus Carmonius, Templi Jacobaei Archidiaconus ... ceu Uxori suae desideratissimae, moestus lugensq[ue] hodie hora 1. solenniter parabit, Omnium Ordinum Cives Academicos serio studioseq[ue] invitat : [P.P. Sub Sigillo Rectoratus, Die 28. Ian. Anno 1679.]**

Rostochii: Keilenbergius, [1679]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn75140599X>

Druck Freier  Zugang



Becker, H.,  
in  
**A. EibeLürs.**

Rost. 1679.

14







PROGRAMMA,

88

Qvo  
RECTOR Universitatis Rostochiensis  
HEMANNUS BECCERUS,

Phil. Mag. Math. Infer. Profefs. Publ.

Facultatis Philos. hodiè DECANUS

Templi item Cathedralis Pasto

Ad Exeqvias

Qvas  
FEMINARUM Ornatissimæ,

ANNÆ EIBE-  
LÛRSIÆ

*VIR Reverendus & Clarissimus*

DN. M. HINRICUS  
CARMONIUS,

Templi Jacobzi Archidiaconus vigilantissimus,

Collega noster honoratiss.

*cen UXORI suæ desideratissimæ,*

*mæstus lugensq;*


hodiè horâ I. solenniter parabit,

Omnium Ordinum CIVES ACADEMICOS

seriò studioseq; invitat.

Rostochj, Typis FRIDERICI KEILENBERGII, Acad. Typogr.





**H**St, fatemur, cetera summus gravissimusq;  
AUCTOR, THUCYDIDES. Uno præstan-  
tiam excellentiamq; suam devenustavit,  
eoq; sic satis gravi, errore. Scilicet existi-  
matū est ei, Virginū Feminarumvè nullā  
celebrari publicitus oportere, si vel IPSA  
maximè VIRTUS foret, aut præclaris faci-  
noribus obstrinxisset sibi REMPUB. (neq; enim in seqviori  
etiam sexu vel novum id adeò, vel est infreqvens) DEUM  
verò præterea, hominesq; pietate atq; officijs demeruisse. Si  
quid dicendum fors afferendumq; pro honore sexus hujusce  
villioris foret, id omne privatis seu domesticis parietibus,  
qvos transilire hoc certè casu grande sis nefas, continendum  
non aliter, ac si vinculis claustrisq; qvibusdam suis obsera-  
retur. Qvæ quidē ad nostrum qvoq; si palatum forent, super-  
sedere eā utiq; & poteramus & debebamus scripture, quam  
paratum hodiè imus. At enim faceffit, qvæ nimiooperè ho-  
nori muliebri hâc detraxit ratione, delira *Thucydidis* sentētia;  
nobisq; fixum firmūq; sit, si qva vel in FEMINAM virtū ceci-  
derit elegantior, nō min⁹ celebrari eandē in Cōcione qvoq;  
oportere, qvām si VIROS generosior fortè animus, aut in-  
doles laudatior venustet. Hodiè in Theatrum producimus  
è sexu debiliori eam FEMINAM, qvæ non tantū privatas,  
verū omnium etiam maximè publicas solennesq; laudes  
promeretur. Fuit enim profectò ANNA EIBELŪRSIA exi-  
mium planè VIRTUTUM *exemplar*; fuit *speculum*, in qvod  
cura-

curatiffimè quæque intuita aliarum jurè effèt Feminarum ;  
fuit *norma* atq; *Régula*, ad quam vitam vel ipsarum MATRO-  
NARUM quæque suam, moresq; suos composuiffet. Quia  
distractis omnia justo minimè licet catalogo pertexere, tra-  
hemus FUNCTÆ historiam in compendium; ceterùm eâ  
id omne facturi lege atq; omine, uti nihil omninò detra-  
ctum ejusdem isthoc pacto honori velimus; causaturi po-  
tius, allegatam præter causam, ideò quoq; methodo nos  
ufuros concisiore, quòd, quicquid etiam diffusiffimè hoc  
casu commentaremur, longè tamen id omne infra digni-  
tatem DEMORTUÆ foret virtutemq; æstimandum. Nata  
est heic ROSTOCHI, die 23. Septembr. Anno hujusce Seculi  
47. Patre VIRO Spectatiffimo Integerrimoq; DN. JOHAN-  
NE Eibelürsen / Cive ac Aromatario apud nos non admo-  
dum pridem honoratiffimo ; Matreq; ELISABETA Hdp-  
ners / *Matronarum* Ornatiffimâ, etiamnum, per DEI gra-  
tiam, superstitante, Filiaq; hujus suæ acerba nimis funera im-  
pensè deplorante. Avus paternus fuit VIR eximius pro-  
busq; Eibe Eibelürsen ; Avia paterna Teta Krusen / ipsa  
quoq; sexus sui egregium decus. Avum naçta maternum  
est PETRUM Hdpner / Civem ac Coriarium Urbis nostræ  
præstantiffimum ; Aviam maternam, Ilfaben Bol-  
ten / Feminarum Ornatiffimam. Ex hac familiâ, exq;  
hisce parentibus cum prodisset, vix potuit eâ carere mo-  
rum sanctitate, virtutumq; præstantiâ, quæ in ipsis ante  
probata fuerat. Sane enim ipsa etiam poma stirpis atqve  
originis referre indolem suæ siveverunt: Qvin & in juven-  
cis, eqvisq; Patrum plerumq; natura conspicitur. *Gene-  
rosa* (apud Tragicum ait *Ulyses*) *in ortius semina exurgunt  
suos.* Quod etsi non fallere nunquam sivevit, in NOSTRA  
tamen minimè fefellit, sed longè fuit veriffimum. Enim-  
verò pietatis, ceu virtutum omnium REGINÆ, studio nil  
scimus



scimus habuisse antiquius; nec ulla re magis aliã delectari  
suetã, quã sacris divinisq; ἀρχαίμασι. Sanctimonix autẽ casti-  
tatisq; tam solidam habuisse rationem constat, uti nulla  
omninò puellarum eã ibi superior videretur. Removeri  
vidisses omnia irritamenta, quibus ceteroquin in exitiales  
scopulos ceream in vitium flecti ætatem abripere identi-  
dem laborant *Urbane Sirenes*. Minimè gentium (veluti pu-  
ellarum quarundam mores esse adsolent) per plateas cir-  
cumvagari, aut in publicum identidem procurrare con-  
specta est; sed domi deprensa residere, acumq; radiumq;  
solerti industriãq; manu versare: Ubi interim fructuosã illã  
rei familiaris scientiã, materno, eoq; fideli admodum ductu  
animus imbueretur. Quibus factitatum utiqvè rebus est,  
uti apta jam nuptiis, potensq; VIRI, conditionem sine  
ullo negotio, vixq; de matrimonio cogitans, inveniret.  
Nam quamvis oris venustas quoq;, formãq; præstantia,  
quã mirificè instructa fuit, multum illiciant invitentq;: pul-  
critudo tamen animi, virtutisq; majestas longè percellit  
pecto validiùs ac commovet, suiq; amore flagitare facit. Itaq;  
quinq; & viginti annorũ, felici planè fidere, collocata VIRO  
*Rev. & Clarissimo* DN. M. HINRICO CARMONIO, antehac  
Diacono *Nicolaitano*, jam verò *Ædis Jacob. Archidiacono*  
vigilantissimo, Collegæ & Amico nostro honoratissimo;  
quo cum per breve quidem, & sexennium non excedens  
tempus, sed ita vixit tamen, ut, quemadmodum antehac  
elegantissima (ceu audivimus) VIRGO fuerat, sic nunc  
omnes OPTIMÆ UXORIS numeros facilè adimpleret.  
Neq; enim majore fide, amore, studio, curã, ulla alia Maritũ  
demereri possit, quã fecit ipsa; sicut & Maritus nil vicissim  
impensiùs studebat, quã ut tantæ indolis conjugem omni  
amoris ac benivolentiæ genere sibi devinciret. Sed enim  
non pacatus tantum ac concors, sed nec illiberis ille torus  
fuit;

fuit; ceu ex quo quini ordine surculi nascerentur! nimirū  
JOANNES-JACOBUS, HINRICUS Major, & HINRI-  
CUS Minor; qui cœlum, undè venerant, repetiere  
suum, Matrisq; fata anticiparunt: Superstites, DEI be-  
neficio, JACOBUS, biennis; & Filia ANNA-ILSABE,  
nec dum integrum nata semestrem. Post hanc ipsam  
luci expositam, non admodum diu mortales inter alma  
esse PARENS debuit, ceu cujus ornamenta virtutemq;  
seculo quasi DEUS invidere porrò crederetur. Enim-  
verò tertiâ *Adventus* ipsâ Dominicâ malè habere, postq;  
vehementiori corripit morbo cœpit. E quo uti expli-  
cari daretur, non omninò nulla spes erat; adeò ire in-  
melius aliquantò res valetudinis per vices videbatur.  
Sed mutata tamen ÆGRÆ, præter spem, conditio, ma-  
lumq; eâ tandem incumbere vehementiâ cœpit, ut, quic-  
quid & non levibus sumtibus, & summo Clarissimi DN.  
BERNHARDI BARNSTORFII, Med. D. Experientissimi,  
studio pararetur contra, nullum tamen feliciorum sorti-  
retur eventum, visq; morbi omni ope humanâ foret po-  
tentior. Ceterum super valetudine FVNCTÆ audire  
atq; inserere lubescit, quæ isthac fini manu ipsius DN.  
MEDENTIS consignata accepimus, argumentum,  
quale sequitur, habentia: *Morbis, quo Beata nostra jam  
à longo tempore tentata, ac subinde graviter satis vexata,  
nunc verò plane succumbere coacta fuit, quantum ex signo-  
rum & accidentium tam præteritorum, quam præsentium ac-  
curatâ inquisitione conjicere licuit, Phthisis vocatur; quæ  
quantus sit affectus, & quam dira inserat symptomata, &  
quam difficulter se iterum erui è corpore patiatur, cum suo  
damno non minus Medici experiuntur, quam egrotantes, &  
in præsens piissimè Defuncta nostra. Hec enim ante ali-  
quos septimanas, lecto affixa conqveri cepit de molesta ac  
diffi-*

difficili respiratione, ruffi graviter affligente & ſæpius repe-  
tente cum aliqua purulenta & nonnunquam ſanguinolente  
materia exſecratione, dolore peſtoris gravativo & ſubinde  
punctorio, leiſpithymiis frequentibus, anxietatibus, imbe-  
cillitate ventriculi, vomitu, extenuatione ac conſumptione  
corporis notabili, & febricula lenta continua. Et quam-  
vis ei præſcripſimus convenientia & appropriata Remedia,  
ulcus ſcil. pulmonis mundantia, purulentam materiam tem-  
perantia ac corrigentia, quibus nonnunquam adjunximus  
ſtomachica cordialia &c. pro urgentium ſymptomatum va-  
rietate, varia; ne quicquam tamen hiſce omnibus præter-  
quam ſymptomatum quorundam ad tempus mitigationem  
efficere potuimus. Die enim vigefimo currentis menſis omnia  
ſymptomata reddebantur iterum graviora & deteriora,  
continua in ſuper accedebat virium jactura, quam nec medi-  
camentis nec alimenti medicamentofis ſufficienter reſtaura-  
re valuimus: unde factum, ut poſtero die, ſic Deo volen-  
te, circa horam quartam matutinam, viribus omnibus ex-  
hauſtis, tandem in Domino placidiſſimè obdormiret. Ita de  
morbo EXTINCTÆ ille. Ipa certè CLINICA, cum,  
quid futurum de ſeſe eſſet, facilè intelligeret, ante om-  
nia navandam ſibi opram cenſuit, uti animã erroribus,  
quibus implicari nec unis, nec levibus norat, exſolve-  
ret, & cum DEO penitus reconciliaretur. A quo ſolo cum,  
quicquid ſibi ſperandum haberet felicitatis, manare pro-  
bè ſciret; rectè cavendum ſtatuit, ne eo ſibi irato ad-  
verſoqve uteretur. Proin poſtquam maximã ani-  
mi devotione, ſeriãq; pœnitentiã confeſſa, non ni-  
mis diu ante obitum, peccata eſſet ſua, Sacro ſancto DO-  
MINI Viatico animam procuravit, paratiſſimam ſeſe pro-  
feſſa ſeqvi, quandocunq; abeundum ſibi è ſtatione fo-  
ret arbitrio illius, qui & vitas & mortes hominum cu-  
ratis-

ratisimè metiretur. Quod & secutum tandem est, dum 21. die hujusce mensis Jan. inter tot suspiria, tot inter meditationes precesq; , placidissimo Mortis genere, ut ipse etiam DN. MEDICUS jamjam signârat, resolveretur. Quem quidem FEMINARUM ornatisimæ casum cum paullò altius cum animo nostro reputamus, verissimâ certè contemplatione vitæ humanæ ingenium deprehendisse nobis videntur, qui navigationis habere instar adserunt. Solet utiq; navigantibus non rarò accidere, ut vel in medio tranquillo aliquis turbo suboriatur repente, ac deprehendat navem, nec tam concutiat quassatq; , quàm planè demergat; nequicquam contra nitentibus Nautis, & vastam avertere hiemem conantibus; cum incumbentis fati, ut ita loquamur, necessitas plus valeat, quàm omnis laborantium industria atq; contentio. Gemina certè & paria prorsus in vitâ sæpe nostrâ expetunt; & frequentissimè contingit, ut, cum valemus maximè, quum lateri pedibusque quàm est optimè, subitanei mali vis ingruat, & simul Medentium opem curamq; , simul nosmet elidat ipsos atque evertat. Ceterum FUNCTÆ satis præclara est conditio. Tuq; , *Rev. & Clariss.* DN. COLLEGA, quietem eidem, & ad quam evecta jam est, stationem, minimè invidabis; casumq; , prout decebit, feres. Qui alios parili casu consolari svesti, ipsum te jam solaberis; neque imitabere malos Medicos, qui in alienis morbis medicinæ sese didicisse scientiam profitentur; Ipsi sese curare non possunt; sed magè, quæ aliis præcipis, ea jam tibi metipsi subicies. Nullus dolot est, (sunt hæc *Sulpicianæ ad Ciceronem*) quem non longinquitas temporis minuat atq; molliat. Hoc te expectare tempus tibi in-

glorium

g'orium est, & non illi potius rei sapientiâ te tuâ occur-  
rere. *Juvenalis* per-est elegans versus :

*Non debet dolor esse viri flagrantior ævo.*

Quod si VIRI simpliciter non debet esse ævo dolor fla-  
grantior, multò minus flagrantiozem ævo oportebit  
dolorem esse VIRI ECCLESIASTÆ, qui longè ceteris  
voluntatem DOMINI rectius doctus, eidemq; , qvicut-  
que etiam casus ingruant, multò proniùs acquiesce-  
re obstrictus est. Ad nos, qui in ACADEMIA su-  
mus, quod attinet, minimè profecto, quæ nostrarum  
fuerint partium, negligemus, frequentesq; , (si fortè  
vel ea etiam res conferre qvicutqvam ad leniendum tibi  
dolorem possit) in Funere TUÆ comparebimus. Ut itaq;  
CIVES ACADEMICI, omnium ordinum honoratissi-  
mi, pro exeqvendâ istâ fini, justo Vos hodiè debitoq;  
numero sistatis, etiam atque etiam hortamur. Est enim  
pietatis id atque benivolentiæ genus ita comparatum,  
uti ordinem cumprimis vestrum deceat, cujus præci-  
pua laudem humanitatis esse studium, certissimum est.

Valete.

P. P. Sub Sigillo Rectoratus,

Die 28. Jan. Anno 1679.

*Convenietur in Æde Jacobaâ, Hora I. pomer.*



8

2









ratisimè metiretur. *Q*uod & secutum  
dum 21. die hujusce mensis Jan. inter tot  
inter meditationes precesq; , placidissimo  
re, ut ipse etiam DN. MEDICUS jamjam  
solveretur. *Q*uem quidem FEMINAR  
simæ casum cum paullò altius cum anim  
putamus, verissimâ certè contemplatione  
ingenium deprehendisse nobis videntur, q  
nis habere instar adferunt. Solet utiq;  
non rarò accidere, ut vel in medio tran  
turbo suboriatur repente, ac deprehendat  
tam concutiat quassatq; , quàm planè demer  
quam contra nitentibus Nautis, & vastam  
mem conantibus; cum incumbentis fati,  
mur, necessitas plus valeat, quàm omnis  
industria atq; contentio. Gemina certè  
sus in vitâ sæpe nostrâ expetunt; & frequen  
tingit, ut, cum valemus maximè, quum la  
que quàm est optimè, subitanei mali vis i  
mul Medentium opem curamq; , simul n  
ipfos atqve evertat. Ceterum FUNCTÆ  
est conditio. Tuq; , *Rev. & Clariss. DN. C*  
quietem eidem, & ad quam evecta jam est  
minimè invidet; casumq; , prout decebit  
alios parili casu consolari svesti, ipsum te j  
neqve imitabere malos Medicos, qui in al  
medicinæ sese didicisse scientiam profiten  
curare non possunt; sed magè, quæ aliis pra  
tibimetipsi subjicies. Nullus dolot est, (  
*piciana ad Ciceronem*) quem non longinqu  
minuat atq; molliat. Hoc te expectare te

